



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Quales assumendi sunt ad clerum. De corona & tonsura. B

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

DE ORDINIBVS ECCLESIASTICIS.
DISTINCT. XXIV.

Nunc ad considerationem sacræ ordinationis accedamus. Septem sunt spiritualium officiorum gradus siue ordines, sicut ex sanctorum patrum dictis aperte traditur, & capitis nostri, scilicet Iesu Christi exemplo monstratur: qui omnium officia in semetipso exhibuit, & corpori suo, quod est ecclesia, eosdem ordines obseruandos reliquit. Septem autem sunt, propter septiformem gratiam S. Spir. cuius qui non sunt participes, ad gradus ecclesiasticos indignè accedunt. Illi vero in quorum mentibus diffusa est septiformis gratia Spir. S. cum ad ecclesiasticos ordines accedunt, in ipsa spiritualis gradus promotione ampliorem gratiam percipere creduntur.

Quales assumendi sunt ad clerum.

*Clemens Pa.
epist. 2. ad
Iacobum.*

*Isid. c. 18. lib.
7. Etym.*

Tales autem ad mysterium spirituale eligendi sunt clerici, qui dignè possint dominica sacramenta tractare. Melius est enim Episcopo paucos habere ministros, qui possint dignè opus Dei exercere: quam multos inutiles, qui ordinatori graue onus inducant. Tales n. decet esse ministros Christi, qui septiformis gratia Spir. S. sint decori: ex quorum doctrina & conuersationis forma, eadem gratia in aliis transfundatur, ne coelestes margaritas spiritualium verborum officiorumq; diuinorum sordidæ vitæ pedibus conculcent. In sacramento ergo septiformis spiritus septem sunt gradus ecclesiastici, scilicet Ouitarij, Lectores, Exorcistæ, Acolyti, Diaconi, Subdiaconi, Sacerdotes: omnes tamen clerici vocantur, id est, sortiti. Corona enim signaculum est, quo signantur in partem sortis ministerij diuini. Corona regale decem significat: quia seruire Deo regnare est. Vnde ministri ecclesiæ, reges esse dicunt, vt se & alios regant: quibus Petrus ait, Vos estis genus electum, regale sacerdotum.

erdotium, &c. Summitas capitis desuper nuda-
 tur, vt eorū mens ad Dñm libera monstretur, quæ
 reuelata facie gloriam Dei cōtempletur. Summi-
 tas enim capitis est eminentia mentis. Denudatio
 capitis est reuelatio mentis. Clericus enim secre-
 torum Dei non ignarus esse debet. Tondentur et-
 iam capilli vsq; ad reuelationem sensuum, sc. ocu-
 lorum & aurium: vt vitia in corde & opere pullu-
 lantia doceantur præcidenda, ne ad audiendum
 & intelligendum verbum Dei præpediatur mens,
 pro quo seruato reddetur in excellis corona. Ton-
 suræ a. ecclesiasticæ vsus à Nazareis exortus vide-
 tur: qui prius crine seruato, deinde ob vitæ conti-
 nentiam caput radebant, & capillos in igne sacri-
 ficij ponebant. Hinc vsus inoleuit, vt qui diuinis
 cultib. mancipantur, quasi Nazarei, i. sancti, crine
 posito inueniantur. Sicut ad Ezechiel. dicitur. Fili
 hominis sume gladium acutum, & duc super ca-
 put tuum & barbam. In Actib. etiam Apost. Priscil-
 lam & Aquilam hoc fecisse legimus. Paulus quoq;
 & alii quidam discipuli Christi hoc fecerunt. Re-
 cte ergo in quibuslibet gradibus constituti, clerici
 vocantur, quorum nomina & rationes nominum
 Isidor. exponens. ait. Cleros & clericos hinc appel-
 latos esse credimus, quia Matthias electus est sor-
 te: quem primum per Apostolos legimus ordina-
 tum. Cleros enim Græcè, Latinè fors vel hæredi-
 tas dicitur. Ideo ergo dicti sunt clerici, quia sunt
 de sorte Domini, vel quia Deum patrem habent.
 Generaliter verò clerici nuncupati sunt omnes,
 qui in ecclesia deseruiunt: quorum gradus & no-
 mina sunt hæc. Ostiarius, Lector, &c.

De Ostiarius.

Ostiarij iidem & ianitores sunt, qui in veteri te-
 stamento electi sunt ad custodiam templi, vt non
 ingrederetur in illud immundus. Dicti a. ostiarij,
 eo quod præsent ostijs templi. Ipsi enim tenentes

Eff 4

cla-

*Raban. c. 4.
 lib. 1. de in-
 stitutione
 clericorum.
 1. Petri 2. 6
 2. Cor 3. d*

Num. 6.

Ezech. 5.

*Act. 18. 6
 1. Cor. 11. 6*

*Isido. in l. 7
 etym. c. 12.*